

Lucanus:

Instituta

juridica

ad Cajae

interpreta.

h' n' n' n'

59. 7. de

us divi.



H

6





1  
JOANNIS HENRICI LUCANI

LIIL  
230.

# EXERCITATIO JURIDICA


AD

CUJACIANAM INTERPRE-  
TATIONEM

§phi 9. J. DE RER. DIVISIONE.



The 3642



HALBERSTADII,  
LITTERIS DELIANIS MDCCLXXV.

JOHANNES HENRICUS LUCAS

EXERCITATIO  
JURIDICA

AD

QUIA CIVITATIS INTERPRE-  
TATIONEM

SECUNDUM J. DE FER. DIVISIONE

WILHELMUS

LIBRARIUS UNIVERSITATIS







## CAPUT I.

### §. I.



Doctrina de servitutibus multis abundat subtilitatibus a veritate & communi usu recedentibus ut Corasio teste in Epist. dedicat. ad Cardinal. Ottonem a Castillione Comment. D. de servit. præmissa p. 4. a nemine eorum qui hanc spinosissimam juris romani doctrinam interpretati sunt, funditus sit eruta enucleataque. Semel etenim juris naturalis simplicitate relicta, hanc de servitutibus materiam tam multa diligenter & ingenio quæsita irrepsere principia, ut fere Oedippo conjectore opus sit, qui varias, quibus adumbrata est, determinaciones,





ex servitutum natura explicare velit. Inde quod servitus in faciendo consistere non possit, quod causam desideret perpetuam & quod res propria nemini serviat, laboriosis Jctorum æque ac Criticorum exercitationibus & ingenti librorum moli ansam præbuere. Quare & nemo mirabitur si talia etiam in Ufusfructus servitute reperiantur. Verumtamen inter cœteras, quibus hoc juris romani caput premitur, difficultates præcipue Ulpiana decisio l. 15. in fine l. 17. pr. ff. de usufruct. & quemadmod. Proprietatis dominus ne quidem consentiente usufructuario servitutum imponere potest. Ita ingenia Jctorum exercuit ut secundum Petrum de Toullieu Collect. Dissert. XI. p. 320. nullibi unquam certiolem ac difficiliorem fixisse crucem quam hoc loco Tribonianus videatur. At enim vero cum Doctores legem nostram semel corruptam & juris analogiæ contrariam haberent, non poterat non fieri, quin quasi legislatoriam sibi arrogantes potestatem, alii derogando, alii subrogando, alii denique penitus abrogando & delendo, medelam desperato loco adferre adniterentur. Nec enim quemquam, qui a limine tantummodo & primoribus labris elegantiolem salutaverit jurisprudentiam, alterna, quibus Jcti æque ac Critici ob hanc rem inter se contendere, scripta, fugere possunt.



## §. II.

Quorum vere varias, in quas quasi data opera, abire videntur, sententias, non est ut heic recenseam, cum Perillustri Heisler in doctissima, quæ Halæ 1766. prodiit, Dissertatione, *de nuda proprietate, pleno dominio ut & proprietatis domino servitutem imponente*, otium hac in re mihi fecerit. Etenim vir devenerandus 1) recensitis eorum, qui nulla adhibita emendatione legis verba retinenda credunt ut Huberi in Prælect. Pand. Tit. de servitut. §. 8. Gottlieb Gerhards Titii in Dissert. de servitut. faciendi §. 12. Joann. Superioris ad l. 12. ff. de servitut. Nro. 3. aliorumque interpretationibus, 2) erudite docet nec horum, nec Cornelii van Bynkerschouck, qui Critices auxilio legem pristinae integritati reddere conatus, pro *nequidem legit equidem*, emendationem ad omnes, quibus textus subjectus, difficultates penitus tollendas sufficere. Eamque ob rationem 3) novam *et consentiente in consiente* subjicit mutationem, probabilem atque perelegantem.

## §. III.

Exinde satis summum istud elucet studium, quo in explicanda difficillimæ legis nostræ sanctione, omnes fere cujusdam nominis, versati sunt juris interpretes. Altamen





ut Petrum de Toullieu juris civilis apprime doctum adjungam, haud abs re erit alienum. Cum etenim huc egregie faciat, nec aliam ob causam, mentionem ejus in laudata Heisleriana Dissertat. intermissam suspicari licet, quam quod speciosa magis quam vera sint viri dicta, Sic vero Dissert. XI. Collect. p. 320. ratiocinatur. *Omnis servitus est extinctio vel minutio facultatis alicujus in dominio comprehensae. Ut facultatem quis aliam extinguat vel minuat, eam ipse habere debet l. 54. de R. J. Atque hinc domino proprietatis integrum non est, servitutum imponere, nempe quia servitutum constituendo, omnem ab se alienavit, omni ab se abdicavit facultate, proprietatem suam denudavit, in fructuarium omnia alienavit jura.* An solverit nodum? non puto, quid & falsissimum reor sequens ex hoc passu abstractum ratiocinium.

Quicumque servitutum constituit, is extinguit vel minuit facultatem aliquam in dominio comprehensam. Atqui Cajus &c. Ergo omni ab se alienavit facultate & proprietatem suam denudavit. Cui pseudomeno legem 4. ff. de usufruct. ansam praebuisse conjectura me ducit. Ast cum in allegata lege non simpliciter, quod usufructus pars domini fit, sed potius quod in multis casibus pars domini non





non fit, habeatur. Cf. Paulum l. 76. §. 2. ff. de legatis 2. & præterea ab Jcto quæstio, an consentiente usufructuario servitutum imponere non possit proprietarius? indecisa sit relicta, pluribus in argumento ad rem non pertinente, haud erit immorandum.


#### §. IV.

Itaque cur consentiente usufructuario servitutum dominus imponere non possit? quærit eum Accursio apud Franc. Connanum in Comment. Jur. Civ. Lib. III. Cap. 3. Nro. 3. qui primo nominandus erat, Jacobus Cujacius ad §. *religiosum* J. de rer. div. An quia dari hoc domino non potest adhibito consensu usufructuarii? Quin & fructuario datum videatur, cujus potissimum interest, servitutum non imponi, ex qua deterior fiat ususfructus causa. Atque ita dominus & fructuarius sibi invicem obstant ut nec soli per se nec simul servitutum prædio fructuario imponere possint l. sed & si quid. §. ult. ff. de usufructi. En brevissimum quasi ex tripode profectum responsum, quod, quemadmodum dubitare non licet, quin Cujacius

οἷος περὺνεται οἱ θεοὶ ἐκείναι αἰετῶν

romanæ sanctionis vim atque auctoritatem omnium optime intellexerit, occasionem præbuit ut id, quod admodum caute





caute & cogitate a Jctorum Coriphæo tactum, conjectura  
auguremur.

§. V.

Ut vero in duumvirorum Francisci de Amaja & Gu-  
therii, qui peracute interpretationis, quam ipse textus fert,  
institere viæ, discedam sententiam, a me impetrari non  
possum. Etenim multum a vero, qui prodeat, abest  
Franciscus de Amaja oper. jurid. p. 64. sic philosophans.  
Ususfructus servitute alicui constituta proprietarius novam  
imponere non potest, quoniam jus utendi & fruendi, in  
quo omnes servitutes consistunt alienum est, nec item fru-  
ctuaris, quia prædii non habet dominium, sine quo servi-  
tus imponi nequit, l. i. ff. commun. præd. Neque sibi  
consensum præstando aliquid agunt, quoniam sibi invicem  
obstant, neque sibi possunt hoc invicem dare cum impedi-  
mentum servitutis imponendæ non removeant. l. 165. de R.  
J. Sed hoc sagaci ingenio ab Amaja excogitatum impe-  
dimentum, probatione non indigere cave credas. Cum  
enim, ut ipse Amaja confitetur, solus dominus vi suæ pro-  
prietatis servitutum imponere possit, nec omnis servitus in  
usufructu sensus strictioris consistat, quomodo imponendæ  
servitutis





servitutis facultas in Proprietarii dominio sine dubio contenta, per fructuarium, in quem præter jus utendi fruendi nihil est translatum, excludi possit? non video.

### §. VI.

Nec feliciori themide Gutherius in Tract. de jur. man. & eum secuti juris interpretes idoneam decisionis rationem in regula, quod servitus servitutis esse non possit, sunt nacti. Etenim, præterea quod generatim brocardicorum ea sit indoles, ut generaliter posita & non determinate circumscripta, falsitatis notam raro effugiant, sic hæc regula ad omnem eximendum scrupulum non sufficit, potius, sicuti Guilielmus Maranus in oper. de servit. docet, ipsam servitutum indolem atque naturam concernit. Omnes quippe servitutes ex re debentur corporali, ideoque suam constitutionem in alia servitute, quæ jus non vero res corporalis est, non admittunt. Et sic, non obstante hac regula dispositionem l. 8. ff. de aqua & aq. pluv. analogiæ juris convenientem esse, facile judicabis.

### §. VII.

Hæ ingenio quæsitæ & e longinquo arcessitæ rationes a doctoribus in medium prolatae sunt ad dirimendam

B

contro-





controversiam, quam Cujacius unico suo *obstare* sublatam & omni exemptam dubio existimavit.

Quemadmodum vero omnes juris interpretes longo post se relinquat intervallo, eo diligentius pauca, in quæ mentem contulit vir sine pari magnus, verba examinanda videntur. Erat vero viri illa plane egregia atque incomparabilis methodus ut in explicandis veterum monumentis præter antiquitates, ipsam, de quo quæstio erat, negotii naturam sequeretur. Itaque huic qui insistit, viæ, omnium facillime illud, quod Cujacius cum Terentio Heaut. 3. 1. 92. & Plinio Paneg. c. 92. *obstare* verbo expressit, inveniet impedimentum. Quem quidem in finem ante omnia ipsius ususfructus, de quo legi 15. ff. de usufruct. & quemadmod. sermo est, natura atque indoles explicanda erit. Duplici vero ratione potissimum usufructus constituitur, nimirum si per l. 3. de usufruct. & quemadmod. *heres jubeatur dare alicui usumfructum & sine testamento, si quis velit usumfructum constituere, pactionibus & stipulationibus id efficere potest.* Qui modi usumfructum constituendi aliunde noti ampliori non indigent explicatione, nisi quod in usufructu legato legati natio heic in sensu illo generaliori leg. 36. de legat. 2. non vero illo sensu sumatur, quo legatum §. 1. de legat. sub donatione quadam a defuncto relicta, ab hærede præstanda, occurrit.



occurrit. Siquidem verba allegati §phi tantummodo ad legatum per *damnationem*, quod ab hærede præstandum & ab ipsius manu accipiendum fuit, neutiquam vero ad cœteras legatorum species pertinere videntur, ideoque nec cum Ruffardo expungenda censerem, licet apud Hermenopulum & ipsum Theophilum non habeantur.



### §. VIII.

Omnino vero inter usumfructum legati titulo & illum, qui inter vivos constituitur, intercedere aliquod discrimen, leges non obscure indigitant. Sic in lege 25. §. 7. ff. de usufruct. & quemadmod. Ulpianus movet quæstionem, *an fructuarius ex re fructuarii vel (ex) operis etiam possit acquirere in casu, quo usufructus jure legati sit constitutus?* Nec non Pomponius, si dominus proprietatis fundum per sal-tuarium aut insolarium custodire velit, id ei, invito fructuario licere affirmat, quolibet *etiam modo constitutus fuerit usufructus*. Quin ergo a diversa usufructus constitutione & diversa jura dependerint, ob distinctionem a Jctis in divisione casuum dubiorum adhibitam, nemo in dubium vocare poterit.

### §. IX.

Pertinet enim legatum ad ultimarum voluntatum genus, in quibus plerique actus inter vivos dissolvendi cessant mo-  
 di





di & quas Romani tanquam *νομον* sancte servabant ita ut, quod paterfamilias super familia, pecunia, tutelave sua (aut uti Pomponius l. 20. ff. de V. S. adjecit, suæ rei) disposuerit, jus effert. Imo secundum Ciceronem in Philippica II. inter publicas hominum actiones, firmissima & sanctissima, lex est, inter privatas vero testamentum. Unde supremum nec iterum rediens hominum arbitrium, cordatissimi mortalium per l. 1. C. de S. S. eccles. quovis modo violari nefas, multo minus hujusmodi dispositorum strictum obsequium, contra naturalem, uti Edmundo Merillio Obs. lib. 7. Cap. 14. visum, duxere rationem. Quandoquidem mirum in modum, vir aliàs elegantis ingenii, detorsit testamenti notionem a Modestino traditam, non recordatus testatoris dispositionem, licet in tempus facta sit, quo non est futurus dominus. H. Grot. de J. P. & B. l. 2. C. 6. §. 14. effectum jamdum sortitam esse, quia de voluntate perfecte ordinaverit, quamquam ad mortem usque executio differatur. Schneider ad Instit. de Servit.

§. X.

Jam vero hæc de legatis stabilita principia per præcepta & Logices & juris ad usumfructum legatum applicanda sunt. Regulam enim, vi cujus omnia ea, quæ de subiecto universaliter affirmantur & de singulis, quæ sub eo continentur



tinentur affirmanda sunt, *Darjes in via ad veritat. §. 271.*  
 lex 15. ff. de usu & habit. verbis, *nec heres quicquam facere  
 debet, quo minus is, cui usus legatus est, utatur*, ita con-  
 firmat ut quæstionem: an proprietatis dominus servitutum  
imponere possit consentiente usufructuario, non possis non  
 negative decidere si fundum, cujus usufructus legatus est,  
 supponas. Obstat nimirum, qui mutari non debet, u-  
 usufructus testatoris ultima voluntate ita determinatus ut se-  
 cundum Cujacium nec dominus & fructuarius per se, nec  
 simul prædio fructuario servitutum imponere possint. An  
 vero hic, quem supposuimus, usufructus legatus, legis 15.  
 ff. de usufruct. & quemadmod. sicque <sup>18</sup> Cujaciani *obstare*,  
 unica fuerit ratio? præjudicialis est quæstio, quam ex ali-  
 âs obstantium legum concordia & ipsius textus nostri tenore  
 probatam dabimus.

### §. XI.

Legi 15. ff. de usufruct. & quemadmod. unice de usu-  
 fructu legato sermonem esse, neminem, qui ejus verba le-  
 gitima accuratius introsperit, fugere potest. Posteaquam  
 enim Ulpianus §pho Imo legis alleg. de legato mancipiorum  
 usufructu, §. 4. de vestimentorum usufructu legato, nec  
 non §. 5. de scenicæ vestis usufructu legato, varios pro-  
 posuerit casus, §. 7. quibus consequenter &c. adjicit Pro-  
 prietatis dominus ne quidem consentiente usufructuario ser-

B 3

vitutem





vitudinem imponere potest. Qui ergo nexus, quem verba  
 §. 7mi, cum antecedentibus habent, fat aperte docet, huc  
 cum summo juris vate Cujacio talem usumfructuarium esse  
 accipiendum, cui legati titulo usufructus competit. Et  
 enim ratio, ex qua Cujacii interpretatio §phi 9. *J. de rer.  
 div.* sitque legis 15. ff. de usufructu & quemadmod. fluxit,  
 latet vel in usufructu legato, uti supposuimus vel in usufru-  
 ctu per actum inter vivos constituto. Priori in casu lex  
 vexatissima ejusque Cujaciana interpretatio egregie cum an-  
 tecedentibus legis 15. ff. de usufruct. & quemadmod. para-  
 graphis convenit & juris analogiæ adeo conveniens est, ut  
 ad tritum illud, quod omnium rerum ratio reddi non pos-  
 sit, quo Cujacius in Observat. l. 8. c. 12. usus est, confu-  
 gere necessum non sit; cum in posteriori casu legem l. C.  
 communia de manumis, & l. 8. ff. de aqua & aqu. pluv.  
 aperte refragantes habeas, nisi, quoniam neutiquam earum  
 verba legitima de usufructu legato sed tantummodo de tali,  
 qui in genere debetur, loquuntur, de usufructu per actum  
 inter vivos, legem 15. vero de usufructu jure legati con-  
 stituto, intelligas.

## §. XII.

His præmissis, proprietatis dominus & fructuarium sibi  
 invicem ita obstare, ut nec soli per se nec simul servitutem  
 prædio



prædio usufructuario imponere possint, elegantur a Cujacio  
 dicuntur. Uterque enim & heres & fructuarius obligatione  
 ex ipso testatoris ultimo elogio proveniente obstringitur, ille,  
 ne quicquam faciat quo minus is, cui usus legatus est, utatur  
*l. 15. ff. de usu & habit.* & hic, ut secundum testatoris  
 intentionem utatur fruatur, nec contra eandem in sui præjudicium  
 ab usufructu quicquam remittat. Nec ab hac testatoris  
 dispositioni convenienter agendi necessitate uterque per  
 declarationem contrariam sese liberare potest. Etenim non  
 jus quoddam competens aut favor in privatorum utilitatem introductus  
 huc obversatur, sed ea, quæ per ultimum elogium fundatur,  
 & proprietarii & fructuarii obligatio, cujus renunciationem  
 vero leges nusquam permittunt. Potest quidem fructuarius,  
 quod non diffiteor, toto sese abdicare usufructu & omnia,  
 quæ sibi exin proveniunt, emolumenta, omittere; consequentiam  
 tamen exinde ad renunciationem, ductam, sane non largior.  
 Siquidem alia plane est repudiandi facultas & alia, quæ in  
 mutanda ipsius usufructus natura consistit. Illa sine contestatione  
 usufructuario competit, hæc vero quum mutationem ejus, qui  
 jam ab auspiciis per ultimum elogium determinatus & circumscriptus  
 est, usufructus, mutationem involveret, sicque testatoris  
 intentioni, cui tamen aut perfecte aut plane non satisfaciendum,  
 foret contraria, non æque usufructuario concedenda erit.

§. XIII.





## §. XIII.

Ke 3642

Itaque, ne quicquam in testatoris præjudicium suscipiatur & qui ab eo constitutus, usufructus per servitutis impositionem deterior redderetur, lex nostra caute prohibet. Quemadmodum enim testatoris, alta qui premitur nocte, consensus haberi nequit, & omnes, quorum interest, vix ac ne vix quidem consentire possunt; eo minus regula, quod nil tam naturale, quam quodvis eodem modo dissolvi, quo colligatum est, huc applicationem patitur. Imo & eo ipso, quod testator semel suam declaraverit voluntatem, omnis ejus in contrarium de mutando usufructu legato, præsumtus consensus inique colligitur & ultimæ dispositionis veritati cedere debet. Quamobrem & hoc nomine proprietarius & fructuarius sibi invicem obstare, recte a Cujacio dicuntur, nisi, quam limitationem ipse Paulus & Ulpianus in leg. 16. & 17. ff. de usufruct. & quemadm. adjecere 1) fructuarii conditio non fiat deterior aut 2) locus religiosus faciendus sit. Quam tamen utramque exceptionem, quæ prolixior meretur tractationem, cum cæteris, quæ nostram conjecturam ab objectionibus tutam præstant, argumentis, alteri hujus Exercitationis capiti reservo. Hæc vero qualitercunque ex primis meditationibus in chartam conjecta tanquam primæ lineæ plenius exarandæ, considerentur velim.



(x2373681)

M




atur  
itio-  
nad-  
s ha-  
dem  
ale,  
huc  
mel  
a de  
ligi-  
rem  
sta-  
ipfe  
dm.  
ocus  
em,  
quæ  
gu-  
ero  
ecta  
m.

Ke 3642

Ke 3642











Farbkarte #13

B.I.G.

LIII.  
280.

JOANNIS HENRICI LUCANI

# EXERCITATIO JURIDICA

AD

## CUJACIANAM INTERPRE- TATIONEM

§phi 9. J. DE RER. DIVISIONE.



*He 3642*



HALBERSTADII,  
LITTERIS DELIANIS MDCCLXXV.

